Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dixerit. GREGOR. Gehenne ignem esse incorporeum an cor-
poreum fateris. PETRUS. Ignem gehenne corporeum esse non
ambigo, in quo certum est cruciari corpora. GREGORIUS.
Certe rebus veritas in fine dictura est. Ite in ignem eternum,
qui paratus est diabolo et angelis eius. Si igitur diabolus et angeli eius
cum sint incorporei corporeo sunt igne cruciandi, quid mi-
rum si anime et ante quam recipiant corpora possunt cor-
porea sentire tormenta. PETRUS. Patet ratio, nec de-
bet animus ulterius de hac questione dubitare. GREGOR.
Postquam laboriose credidisti, operepretium credo si ea que
a viris fidelibus sunt gesta narravero. Iulianus namque
huius romane ecclesie, cui deo auctore deservio, sedis defen-
sor, qui ante VII fere annos defunctus est, ad me adhuc in mona-
sterio positum crebro veniebat, mecumque colloqui de anime uti-
litate consueverat. Hic itaque quadam die mihi narravit dicens:
Theoderici regis temporibus pater soceri mei in Sicilia exactio-
nem canonis egerat, atque in Italiam redi[ebat]. Cuius navis appul-
sa est ad insulam que Lipphalis [Lipparis] appellatur, et quia illic vir qui-
dam solitarius magne virtutis habitabat, dum naute navis
armamenta repararent, visum est predicto patri soceri mei
adeundem virum dei pergere, seque eius orationibus commendare.
Quos vir domini cum vidisset, eis inter alia colloquens dixit:
Scitis quia rex Theodericus mortuus est? Cui illi protinus respon-
derunt: Absit. Nos eum vivum dimisimus, et nichil tale ad nos
nunc de eo relatum est. Quibus servus dei respondit: Etiam mortuus
est. Nam hodierno [hesterna] die hora nona inter Iohannem papam